B. N. C.
FIRENZE
1004
19

1004 19

XXXVIII

TEBAL. V.S.VBALD

1004. 19

S. P.

VBALDI

EPISCOPI EVGVBINI, ET CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS

Vita

A B. TEBALDO

EPISCOPO, EIVS COEVO, & ſucceſſore deſcripta;

Ac olim ex antiquis exemplaribus excerpta, & impreſſa,

Denuo in Lucem edita per

P. D. Vbaldum Marionum Patritium Eugubinum Canonicum Regularem Lateranenſem.



PISTORII, Apud Petrum Antonium Fortunatum, 1647.

Superiorum permiſſu.

1872

Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino D.

FEDERICO MARIONO,

Eugubino I.V.D. ac Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis Auditori optime merito

D. Vbaldus Marionus Eugubinus Can. Reg. Lat. Pronepos addictiſs.



QVI Vbaldi ſumma in orbẽ merita ita ſibi cunctorũ animos deuinxere, vt nedum poſt quingentos fermè ab eius exceſſu in cælum annos ex hominum memoria exceſſerint, quin potius renouatis ſemper plauſibus in dies magis, ac magis efferantur. Gemunt vbique prœla vt Vbaldi geſta promant, deſudant ingenia vt tanto accinant viro. Hinc Eugenius, Falcucius, Abbatius, & ex meis Canonicis, Flamma, Pennottus, Oliuerius, ac alij quã plures, Vbaldi geſta nunc oratione ſoluta, nunc metricis legibus recenſentes, crebra fidelium manu verſantur. Verum ſi quod ſentio proferam, cæteris omnibus, vt operis vetuſtate, ita & ſtyli ſuauitate, & dignitate ſcribentis B. Tebaldi, qui D. Vbaldo ſucceſsit in eundem Vbaldum encomia præferuntur. Opuſculum iſtud ex antiquis noſtræ vrbis codicibus extractum, ac olim impreſſum, denuo Piſtorij me ſuggerente cuſum, tibi Illuſtriſs. dico, vt gemma fulgens Vbaldi, aureo ſapientiſsimi viri ſinu, velut pretioſo in circulo concludatur. Pientiſsimo viro pietatis monumẽta debebantur; & Vbaldi encomium, ad citharæ imaginem elaboratum, Iuris prudẽtiæ ſapientiſsimo debebat tranſmitti, qui & ipſe quo-

que, vt Pierius obſeruat, citharæ ad inſtar, ſapientiæ ſuæ modulis, diſsidentium animis componendis, & reconciliandis incumbit. Obſeruantiæ meæ qualecunque hoc monimentum læto dum excipis vultu, vota æterno Numini offerre non deſinam pro tui incolumitate, ac felicitate. Vale, ac iterum vale amantiſsime, ſapientiſsime Patrue. Piſtorij ex Canonica S. Bartholomæi die 26. Octobris 1647.

IN SANCTI VBALDI EPISCOPI, ET CONFESSORIS Vitam.

TEBALDVS contra votum, & præter meritum electus Eccleſiæ Eugubinæ Epiſcopus.

VITAM, & Miracula Viri Dei Vbaldi ſcripturus, quicquid de eo memoria dignum veraciter ediſcere potui, vobis fideliter deſtinare decreui. Vobis enim tantam Diuinę bonitatis clementia gratiam contulit, vt eius ſuauiſſimo alloquio perfrui, & ſacris merueritis benedictionibus roborari. Cuius pietas diuinitùs edocta, ſanctitatem eius, & reuerentia obſequij, & oblatione proteſtata eſt muneris. Nondum videratis eum coruſcantem miraculis, & tamen deuotiſſimè venerati eſtis eius gloriam ſanctitatis. Vnde gloriari vos in Domino, & exultantius conuenit gaudere, quia Diuini muneris fuit gratia, quod eum, qui tantis modo fulget mirabilibus viuificè mortuus, ſanctum merueritis intelligere mortaliter viuum. De cuius ego ortu, & vita, necnon & obitu tantum ſcribere decreui, quantum ex relatione eorum, qui veraciter nouerunt, addiſcere potui. Nam de miraculis eius, quę poſt vitalem eius mortem propter eum Dominus fecit, ea tantum ſcribere volui, quæ vel proprijs oculis videre, vel eorum relatione, in quibus patrata ſunt, potui agnoſcere. Pauca verò de illis etiã, iuſtis, & probis viris referẽtibus, in longinquis, & remotis partibus veraciter facta fuiſſe percepi. Fideliter igitur ſuſcipite, quicquid præſens ſcriptura de Beato Vbaldo memoriæ veſtræ commendat.

Beatus itaque Vbaldus Eugubina Ciuitate progenitus, nobilis quidem genere, ſed nobilior effulſit integritate vitæ. Cum eſſet infantulus, & adhuc in cunis vagiret, patre orbatus,

tus, traditus eſt Deo per quemdam ſuum patruum, religioſum videlicet virum, nomine Vbaldum, traditus eſt autem nutriẽdus ſub diſciplina Eccleſiaſtici ordinis, & oblatus eſt Priori Eccleſiæ Sanctorum Martyrum Mariani, & Iacobi. Qui cum iam factus eſſet docilis, litterarum ſtudiis traditur, & in eadem Eccleſia diuinas litteras ſtudioſè docetur. Sed cum iam ad prouectæ ætatis tempus veniſſet, & illius Eccleſię Clericos aliquantulum inordinatè viuere, nulliuſque ferè religionis regulam ſeruare videret, ad Eccleſiam S. Secundi ſe contulit, ibique per aliquantum temporis commoratus honeſtiſſime vixit. Tardius quippe venturæ maturitas ſenectutis, honeſtate iam grauem reddebat ætatem adoleſcentis.

Videns autem beatæ memorię Ioannes Grammaticus, prædictæ Ciuitatis Epiſcopus religioſæ conuerſationis adoleſcentem, ad Eccleſiam ſuam eum ſtuduit reuocare, & grauitati eius paterno amore congaudens, ſæpe illum ſecum permanere faciebat. Cui quadam die quidam amicorum ſuorum ſecum ſecretiùs loquendo, carnalis affectu amicitię motus talia verba dixit. En hæreditatem parentum tuorum conſanguinei tui retinent, & tu nullum inde lucrum, nullumque ſeruitium habes? Duc vxorem, quæ nobilitatem tuam deceat, & recuperatam viriliter poſſidebis hæreditatem tuam. Ad quem vir Domini Vbaldus taliter reſpondit dicens: Abſit, vt, quam ſemel Domino conſecraui virginitatem meam, amittam, & integritatis meæ munditiam muliebri luxuria polluam. Quantum autem ad hæreditatem meam ſpectat, portio mea in terra viuentium, & pars hæreditatis meæ eſt Deus meus.

Cũ ergo Dei famulus adoleſcẽtię ãnos ſeniliter trãſiſſet, & morũ illũ grauitas õnibus cõmẽdaret, in prædicta Eccleſia BB. Martyrũ Mariani, & Iacobi Prior efficitur, & Prælationis Regularis dignitate, cõmuni omniũ voto, honorificè ſublimatur. Et quidem ſuſcepti Prioratus dignitas ſatis erat honorabilis, ſed qui ſuſcepti fuerant ad regendũ Clerici, non tanto honore, & reuerentia erant digni. Nã in prædicta Eccleſia, modica tũc temporis ordinis obſeruantia, aut nulla prorſus religionis colebatur memoria. Mercede annua erat conductus, qui campanas

panas pulſaret in hora officiorum; & quia Clericorũ vnuſquiſque in domo propria epulabatur,& dormiebat, tota ferè obſeruantia Eccleſiaſtici cultus, cuſtodiebatur in pulſu nolarum. Clauſtrum patebat omnibus, viris ſcilicet, ac mulieribus, nec vllo ibi tempore porta claudebatur. Quid igitur vir Domini faceret? vnde conſilium, vnde adiutorium ſperaret? Videbat Eccleſiæ ſuæ nauim confractam ita, & tempeſtuoſis procellis vndique quaſſatam. Quatiebatur Deo deuotus animus,& fluctuans in medio tempeſtatum, quia in medio peruerſorum hominum Frater erat draconum,& ſocius ſtruthionum. Sed Dominus, qui verbum euangelizantibus dat virtute multa, Priori ſuo Vbaldo euidenter largitus eſt opem ſuam. Nam primum de omnibus illis Clericis tres ſibi cum adiutorio Domini adiunxit, quos benignis ſuaſionibus ſeruando ordini ſecum arctius copulauit. Cum quibus, quantum poterat, regulariter viuere,& clauſtrum, menſam, dormitorium,& chorum ſtudebat Canonicè tenere. Poſtmodum verò ad Eccleſiam Beatę Marię in Portu Rauẽnas Canonicorum Regularium Lateranenſium perrexit, vbi ſatis honeſtè Apoſtolicę ſeruabatur regula inſtitutionis, & ſplendor in omnibus fulgebat totius ſanctitatis. Ibi ergo tribus menſibus ſub diſciplina Canonicorũ illorum regulariter vixit, quatenus diſcipulus veritatis factus ſine errore poſtea doceret, quod primum viſu,& auditu veraciter didiciſſet. Scriptã itaque Canonici ordinis regulã rediens attulit, eãque Canonicis omnibus proponẽs Diuino comitatus adiutorio ſeruandã iniũxit. Factumque; vt ex illo tẽpore cuncti regulariter viuerent, & Canonicum ordinem omnes deuotè cuſtodirent.

His ita compoſitis Ciuitas Eugubina ex maxima parte cõmburitur, & terribili Dei iudicio venerabilis Vbaldi Canonica funditus concrematur. Cuius damni dolore mæſtificatus acriter, Priorem heremi Fontis Auellanæ Petrum Ariminenſem adijt, cuius vita in Dei ſeruitio admodum habebatur mirifica, & præconium ſanctitatis longè, lateque clarius coruſcabat. Huic ergo ſimpliciter innotuit, quia & prioratum deſerere, & locum vellet mutare. A quo benigna increpatione correptus, & rationabili exhortatione commonitus didicit, virũ

Dei, ſicut aurum in fornace, in tentationibus probari; & coronam non niſi legitimè certantibus poſſe elargiri, graueque nimis ſe peccatum perpetrare, ſi creditos ſibi fratres in tali aduerſitate relinqueret. Credidit homo Dei Vbaldus tanti viri exhortationibus, & feſtinus cum alacritate rediens cœpit & cõbuſtam Eccleſiam, Deo ſe in omnibus adiuuante; reficere, & amiſſarum rerum damnum ſociantibus amicis, & vicinis viriliter reparare. Atque ita in breui tempore diuinitus adiutus, non ſolum omne damnum Eccleſiæ combuſtæ reſtituit; ſed etiam in prædijs, & poſſeſſionibus, cęteriſque humanę vitæ neceſſarijs, eã tantum augmentauit, vt incendium illud non detrimentum intuliſſe, ſed emolumentum potius, & religionis, & ſubſtãntię probatum ſit pręſtitiſſe.

Interea bonę memoriæ Peruſinus Epiſcopus humanum moriendi debitum ſoluit, & vir Dei Vbaldus eligitur ad Epiſcopatum à Peruſinis. Sed cuius erat propoſitum cęleſtem in omnibus ſequi Magiſtrum, ſicut ille terrenum vitauerat in terris accipere regnum, ita iſte Peruſinum ſuſcipere deuitauit Epiſcopatum. Nam, ſicut Beatus Euangeliſta dicit, poſtquã de quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiauit Dominus quinque millia hominum, cum cognouiſſet, quia venturi erãt, vt raperent eum, & facerent Regem, iterum ſolus fugit in montem. Hoc itaque fugiendi honoris exemplum, bonus diſcipulus imitatus, cum cognouiſſet, quod Peruſini de ſe diſpoſuerant, occultè aufugit, & in heremo, quæ inter ambas partes dicitur, per aliquantum ſe temporis occultauit. Poſtea inde recedens, clam Eugubium redijt, & inde quatuor Clericis aſſumptis, pedeſter Romanum Pontificem adiuit. Cui cum ſe humiliter repræſẽtaſſet, votum animi ſui ſimpliciter innotuit, & quantum potuit per ſe, & per ſuos amicos Cardinales eum ſuppliciter orauit, vt eum ad Epiſcopatum Summus Pontifex non cogeret, immo potius ab electione facta de ipſo, Apoſtolica ſolueret auctoritate. Annuit itaque ſanctæ memorię Honorius Papa tam deuotis petitionibus eius, & nolens contriſtare, ſecundum Apoſtolum, quem in ipſo videbat habitare Spiritum Sanctum, ſuſcepit preces, exaudiuit votum, & compleuit deſi-

deſiderium. Reſeruatus itaque Diuina ordinatione vir Dei Vbaldus ad Epiſcopatum Ciuibus ſuis, gaudens, & exultans Eugubium rediјt.

Poſthęc bonę memorię Stephanus Epiſcopus migrauit ad Dominum, & Eugubium, viri ſcilicet Dei Vbaldi Ciuitas, Epiſcopali cura viduatur. Cum autem non eſſet conſentiens de Clericis Ciuitatis eligendi Antiſtitem, Dei ſeruus cum aliquātis Romam perrexit, vt ſcilicet de Romana Eccleſia eligerent, quem ſibi Romanus Pontifex Epiſcopum conſecraret. Sed qui lapidem, quem reprobauerunt ędificantes, eſſe fecit in caput anguli, Seruum ſuum Vbaldum à Ciuibus quidem ſuis reprobatum, ſed à ſe cognitore meritorum electum, conſtituit Paſtorem ſuper Populum ſuum. Nam cum prędictus Dei ſeruus vnà cum Clericis ſuis peteret, quos Papa nulla ratione concedere acquieuiſſet, ipſe per ſe Papa diuinitus edoctus Vbaldum nominauit, & vt ipſum ſibi Epiſcopum eligerent, qui aderant, Eugubinis Clericis pręcepit. Igitur honorabiliter tam electus, & honorabilius poſtea ab eodem Romano Pontifice conſecratus, Eugubium rediјt, & Cathedram Epiſcopalem regendam feliciter per ſęcula ſuſcepit.

In eo verò, conſecrato Epiſcopo, ſicut creuerat dignitas honoris, ita creuit virtus manſuetudinis, & omnis bonitas. Nam ſupramodum humanę conuerſationis manſuetus erat, & humilis, ſimplex, benignus, & affabilis. Mortificatio corporis, tolerantia laboris, atque contemptus ſęculi, pluſquam credi poſſit, inerat ei. Nam de patientia eius quid dicam? Cum ſemper eam inſeparabiliter amplexatus fuerit ſuprà menſuram humanam. Verba eius pauca, ſed ſemper ſapientię ſale condita. Victus parcus, ſed diſcretus, & ideò inani gloria vacuus. Nam cum de omni genere ciborum licet parciſſimè ſumeret, vt cęnodoxiam familiarem abſtinentibus vitaret, pane ſicco, & arido magis vtebatur, quo & corpuſculum reficeret, & delitioſis epulis non ſeruiret. Veſtitus eius tenuiter non modicus, & magis nutriens, quam expellens frigus, ità humiliter, & temperatè abiectus, vt nec pretio carus, nec omnino vilitate foret deſpectus. Iam verò de lectuli eius abiectione quid refe-

ram? Vbi cum pauca palea, modico ſacculo, & vili ſatis, & valde paruo vtebatur operimento. Quando verò aſperitas eum frigoris coercebat, iaciebat ſuper ſe caligas, & femoralia. De frequentia verò orationis eius ſilere potius, quàm pauca dicere decreuimus, quoniam in omni tempore omnis locus erat ei oratorius.

Et quia patientem eum ſupra menſuram humanam diximus, iuſtum eſt, vt vnum de multis patientiæ illius exemplum ponamus. Quadam die, dum murus Ciuitatis ædificaretur, & in ipſo muro quoddam ædificium cæmentarij facerent, quod vineæ Epiſcopi, quæ muro ſubtus iacebat, nimis iniurioſum detrimentum afferret, prohibuit, & ne vineæ ſuæ iniuriam facerent, humiliter interdixit. Cuius interdictum is, qui operi præerat, pertinaciter recuſauit, & eum cum iniuria impellens in liquidum cæmentum, quod paratum erat, deiecit. De quo totus infectus cum ſurrexiſſet, humiliter ſiluit, & cum ſumma patientia quaſi nihil paſſus fuiſſet, ad Epiſcopatum rediuit. Sed Ciues iniuriam Epiſcopi non ferentes, ei qui iniuriam fecerat, non ſolum domum deſtruere, & omnia, quę habebat, minabantur auferre, ſed etiam ipſum volebant extra Ciuitatem longiùs propulſare. Epiſcopus autem tumultum populi benignè compeſcuit, & quaſi eum acrius puniri vellet, ad ſuum imperium vindictam reſeruauit. Ducitur itaque reus ante Epiſcopum, & interrogatus, ſi eius vellet obſeruare mandatum, promittit ſe homo facturum, quicquid Epiſcopus in eum præciperet, etiam ſi in eum pœnam mortis dicere vellet. Epiſcopus autem proteſtatur, eum nullo modo ſuam ſeruaturum ſententiam, quam tantùm duram in illum promere diſponebat. Sed homo cum deuotione multa, & obteſtatione horrenda promittebat, ſe facturum, quicquid Vir Dei vellet dictare in ipſum. Stupentibus itaque plurimis, & quid Epiſcopus præcipere cogitaret, expectantibus, Beatus Vbaldus de ſede ſua ſurrexit, & ei, qui ſe in terram deiecerat approximans; Da, inquit, mihi oſculum fili, & Dominus Omnipotens remittat hoc, & omnia peccata tua tibi.

Seditio dura quadam die orta fuerat in platea Ciuitatis, &

Ciui-

Ciuibus acriter inter ſe pugnantibus, hinc Inde multi vulnerati perimebantur. Quod cum audiſſet Beatus Vbaldus nimium doluit, & ad locum pugnæ velociter currens anxius peruenit, ſed cum nulla ratione bellum ſedare potuiſſet, in medias acies concertantium curſu rapidiſſimo proruit, & inter pugnantium gladios, & lapidum grandines, quaſi mortaliter vulneratus ſe ſubitò in terram deiecit. Exiſtimante autem Populo illum eſſe mortuum, omnes ſtatim proijciunt arma, crines euellunt, & ad tanti Patris (vt putabatur) tam tremendum funus viri, & mulieres pariter currũt. Aſcendit clamor plangentiũ ad æthera, & vnuſquiſque ſe reum mortis eius, clamat homicidam. Vt autem Vir Domini hac arte bellum illud perſenſit eſſe ſedatũ, leniter ſurgens, nutu manus annuit, & quia nullius vulneris dolorem pateretur indicauit. Atq; ita factum eſt, vt dum Epiſcopus tradit ſe morti pro Populo,& Populus viueret, & Epiſcopus non periret.

Hic cum apud Fontem Auellanæ, cauſſa quietis frequenter ſecederet, & ex conſuetudine quotidiè Miſſam cantaret, & loci Sacriſtã ex eo, quod ſibi valde amabilis eſſet, multũ diligeret,contigit ſemel,dum illuc iuiſſet,illum fratrem infirmari vſque ad mortem. Cui cum alij dicerent, Domine ecce,quem amas infirmatur:ait ad illos,vbi iacet?At illi dixerũt ei: Domine veni, vide. Cumque ad eum veniſſet,& ſalutaſſet ex more, ait ad eum Vir Beatus: Licet, frater cariſſime, nimium infirmeris, tamen ſi tibi placet, facito nobis dari librum, & veſtes, & cętera, quæ habemus ad Miſſam neceſſe. Cumque poſtulata percepiſſet, & inter ſacra pro ægroto Dominum poſtulaſſet, eadem hora Monachus, qui moriebatur, factus eſt ſaniſſimus, nec expectauit Epiſcopum in lectulo.

Equitabat cum quibuſdam Beatus Vbaldus quadam die ad Plebem S. Creſcentini,& cum appropinquaſſet Plebi, quidam cœcus occurrit ei, qui ex reſponſione præcedentium Virum Dei cognoſcens cum magnis obteſtationibus clamando cœpit rogare: vt ſibi manum oſculandam dignaretur porrigere, quã, mox vt cęcus oris oſculo contigit, lumen, quod per quadriennium amiſerat, recepit. Quo Dei famulus cognito, & terribi-

liter

liter interdixit, ne dum ipſe aduiueret, quod in ſe factum fuerat, alijs intimaret. Sed non potuit manere occultum, quod ad gloriam Serui ſui Dominus voluit eſſe manifeſtum. Nam ipſe, qui cęcus fuerat, hoc multis innotuit, & dum Seruus Dei viueret, plurimis manifeſtauit.

Ad Eccleſiam Beati Orphyti conſecrãdam Beatus Vbaldus cum alijs Coepiſcopis aduenerat, ad quam cum multitudine populi quædam Paralitica in carruca fuerat adducta. Cumque Vir Dei, ſicut moris eſt, infulatus coram ea tranſiret, illa diuinitus edocta, veſtimenta illius apprehendit, & ei dum fidenter innititur, de carruca ſana ſurrexit.

Cuidam cęco reſponſum eſt in ſomnis, vt iret ad Vbaldum Eugubinum Epiſcopum, quoniam ab ipſo eſſet lumen recepturus. Narrauit cęcus mane ſomnium his qui ad Miſſã cõuenerant, & confortatus ab omnibus non fuit piger ad obediendũ. Venire cępit Eugubium; veniens autem diuertit ad quandam ceraſam, in qua duo viri aſcenderant, & ceraſa colligebant, & puer, qui cęcum ducebat, cęcum monuit, vt peteret ceraſa illis, & cęcus amore Dei rogare cæpit illos, vt ei de ceraſis darent, & illi dixerunt, aſcende ad nos, & collige tibi, ſicut & nos colligimus, ad quorum reſponſum cęcus erubeſcens, ex imo pectoris trahens ſuſpirium, rogauit Beatum Vbaldum fideliter, vt ſui miſereretur. Mirabile verbum. Statim aperti ſunt oculi eius, & circumſpiciens vndique, omnia clarè videbat, & dixit illis, qui in ceraſo reſidebant, comedite vos de iſtis pomis, quia ego gratia refectus ſum diuinæ propitiationis, & gaudens cęcus illuminatus, & exultans cæpit currere ante puerum, qui eum prius perducebat ad manum, & qui per decennium lumen Cæli non viderat, per inuocationem Beati Vbaldi omnia clarè videbat, & veniens Eugubium, hæc omnia nunciauit famulo Dei, Beato Vbaldo, & Dei famulus humilis Vbaldus ægrè nimium accepit, & increpans eum monuit, vt non ſuis meritis, ſed Diuinæ tantum gratiæ adſciberet, ac bonitati, extorſitque ab eo multis obteſtationibus, vt nemini quicquam diceret, quamdiù in hac communi vita ipſe viueret, & cum Beatus Vbaldus migraſſet ad Dominum, manife-

niſeſtè, qui cęcus fuerat, omnibus innotuit, quod eum Deus miſericors per Beatum Vbaldum illuminauit.

Illis temporibus vndecim Ciuitatum Populi cum tota virtute ſua conuenerunt in vnũ, & veniẽtes contra Eugubium caſtrametati ſunt iuxta muros eius, & erat tantus Populus hoſtium, vt vix vnus de Eugubinis numeraretur ad quadraginta de illis, & Vir Dei Vbaldus ante paucos dies cum proceſſione magna triduo Ciuitatẽ circuierat, & pro ſalute Populi ſui deuotiſſimè Omnipotentem Deum deprecatus fuerat. Cum ergo dies pugnæ veniſſet, Sanctus Dei Populum ſuum prudenti exhortatione commonuit. Ad ſperandam indubitanter de Cælo victoriam conſtanter animauit, & Eugubini Epiſcopi ſui benedictionibus muniti pergunt ad bellum. Epiſcopus autem clauſtri ſui aſcendit tectum, locum ſcilicet excelſum, vnde videre Populum ſuum poterat. Et Deus Omnipotens, qui, Moyſe orante, Amalecitas coram Iſraele proſtrauit: ipſe, orante Beato Vbaldo Epiſcopo ſuo, omnes aduerſarios in fugã conuertit, & arma proijcientes, & ſua omnia relinquentes, ad propria cum pauore redierunt, & in ſuis habitaculis tremebundi latitabant.

Presbyter quidã erat Azonus nomine de Eugubina Ciuitate, & digitus eius & manus ita tumuerat, & ita acriter dolebat, quod quieſcere, & dormire nullatenus poterat. Huic per viſionem Vir Dei Vbaldus apparuit, & faciens ſignum Crucis ſuper digitum eius, & manum, Preſbyterum liberauit. Expergefactus verò Presbyter, cum in veritate cognouiſſet, ſe ſanum factum, benedixit Deum, & Dei Virum venerabilem Vbaldum, & accedens ad Beatum Vbaldum, ea, quæ ſibi contigerant narrans, de collata ſibi ſanitate reuerenter ei gratias egit, & vir Dei eum acriter corripuit, & non ſine quadam indignatione animi, vt idẽ talia nõ diceret, intimãdo mandauit.

Hic autem Sanctus Dei, vt dignus eſſet Cælo, purgatus omni rubigine, durè nimis ſæpiſſimè flagellatus eſt in Mundo. Bis enim fracturam paſſus eſt cruris, & ſemel ruptura armi dextri; multas etiam aliãs graues frequenter paſſus eſt infirmitates, ſed nemo vnquam eum in ſuis doloribus murmurantem

rantem audiuit, vel turbatum vidit. Gloriabatur quippè cum Paulo in infirmitatibus ſuis, & tunc fortior, & deuotior erat in mente, quando duriùs flagellabatur in corpore.

Cum autem Omnipotens Deus prorogatiuam eius patientiæ, & cunctarum virtutum opera remunerare decreuiſſet, vt in Regnis Cæleſtibus diademate margarita de terra ſumpta clarius fulgeret, per biennium ferè graui eum infirmitatis moleſtia corripuit, & quicquid per ſuſcepti regiminis negligentiã humaniter admiſit: quicquid per remiſſæ manſuetudinis diſſolutionem minus diſcretè pepercit; quicquid denique quocumque modo de terreno puluere maculoſum contraxit, intus caminum coxit contritionis, & amaritudinis, & foris abluit aqua paternæ percuſſionis. Miſericordia quippè Domini, ſicut ſcriptum eſt, in ſtatera ex aduerſo potus datur in lacrymis in menſura, quatenus nec miſericordiæ libra meritum irremuneratum relinquere; nec pœnæ vindicta reatus debeat limitem præterire. Appropinquabat autem mortis ſuæ tempus, & debile corpuſculum totis deſtituebatur viribus, vnde factum eſt, vt decimo die ante migrationis ſuæ horam ab Eccleſia Beati Laurentij Martyrijs reportaretur ad Eccleſiam ſuam, & Epiſcopatum.

Adueniente autem Sabbatho, quo ſacri Pentecoſtes Vigilia celebratur, Diuino ſpiritu docti, Ciues cum mulieribus veniunt, candelas accendunt, & tanti Patris exitum ſumma cum deuotione præſtolantur. Per totum ergo diem Sabbathi, & Sanctum diem Dominicum reuerentiſſimè frequentatur, colitur, & cuſtoditur. Beatum ſe credit, qui eius manus, vel pedes poteſt oſculari. Orationibus eius omnes ſe ſuppliciter commendant, & quicumque in eum peccaſſe reminiſcitur, ſumma cum humilitate rogat, vt ſibi remittere dignetur. Sequenti autem nocte, quam Sancti Pentecoſtes dies Dominicus præceſſerat, Beatus Vbaldus in manus Domini deuotiſſimè commẽdans animam, ſuam in pace migrauit ad Dominum, & anima illa ſanctiſſima in æterna claritate aſſumpta à Chriſto cũ Beatis Spiritibus, & Sanctis omnibus æternaliter gloriatur. Sacrumque Corpus eius in Eccleſia Beatorum Martyrum Mariani, &

ni, &

ni; & Iacobi cum multa ſolemnitate, & reuerentia collocatur. Occurrunt vndique Populi propinqui, & longinqui. Veniunt & Epiſcopi, & Clerici, Abbates, & Monachi, & ſicut Sanctus in vita ab omnibus habebatur, ita non immeritò poſt migrans in Domino ab omnibus adorabatur. Interea boni Ciues mittunt legatos ad contadinos ſuos, cum quibus bellum habuerant, & eos ad tanti Patris obſequium vocant, & vt ſecum veniant, eos certificant. Remittunt ſibi viciſſim culpas ſuas Eugubini, & præcipuè contadinis ſuis nobilibus, & alijs omnes, quas contraxerant, offenſas ignoſcunt, & ad mutuam pacem redeunt.

Sed quam glorioſè tam ſancta anima ſuſcepta fuiſſet in Cælo, per eius ſacrum corpus, quod iacebat in feretro exanime, quid viuens meruerat, demonſtrabat. Cæpit enim diuerſis coruſcare miraculis, & eum inuocantibus mirabiliter ſubuenire. Nam Maria de Callio per tempus plurimum contracta fuerat ex vno latere; & cum Sanctus Dei Vbaldus Pontificalibus veſtibus iaceret in feretro, & manpulum, quod omiſſum fuerat, in eius manum miſſum fuiſſet, prædicta mulier, ſtatim vt Sanctum tetigit, ſanata fuit, & erecta liberè ſtetit, & abijt, quo viſo omnes Deum, & famulum eius benedixerunt.

Per quatuor vero illos dies, quibus in feretro reſeruatus, & cuſtoditus fuit, cœcis viſum, ſurdis auditũ, & claudis reddidit greſsũ, mutos etiam fecit loqui, Dæmones fugauit, & alios plures, diuerſis languoribus laborantes, ſanitati reſtituit. Mariæ quippe de Caſtilione de Sitria reſtituit viſum, & Martino, qui de ſui Epiſcopatus dominio fuerat, reddidit auditum. Cuidam Puero de Certalto, qui fuerat claudus, greſſũ. Et Mariæ de Boibo loquendi reſtituit officium. Cuidam etiam mulieri de ſuo Comitatu manum per incendium contractam reſtituit. Et quemdam Maiolum de Plebe S. Paterniani de tumore coxæ liberauit. Liberauit à Dæmonibus Ymizam de Vico Flenocleti. Et aliam Feminam de Colle S. Donati.

In Caſtro etiam, quod Collis de Arbore dicitur, quod videlicet Caſtrum eſt in Comitatu Peruſino, iam ſeptennis erat quædam infantula, quę aurium, & linguæ à natiuitate officio

care-

carebat. Pedum quoque ita destituta erat viribus, vt nec de loco ad locum pergere, nec in loco poſſet per ſe ſuis pedibus ſtare. Huius itaque mater, cum audiſſet mirabilia, quæ per Beatum Vbaldum fiebant, orauit deuotiſſimè Dominum, vt ea in ſua filia experiri mereretur. Vocantur interea mulieres, quæ habitabant in prædicto Caſtello, vt portent arenam, & lapides ad ædificandum murum; cum ergo mater præfatæ infantulæ inuitaretur à commatre, vt ſecum iret, conqueſta eſt lacrymabiliter, quia non haberet, cui miſeram filiam ſuam cuſtodiendā relinqueret. Verū, quia vox præconis ſub immani comminatione vrgebat, cum iniunctum non poſſet prætermittere ſeruitium, commendauit filiam attentius Sancto Viro Dei. Meorum pignus viſcerum commendo tuæ cuſtodiæ, illud tuæ defenſioni ſeruandū dimitto, & ſi vera ſunt, quæ de te dicuntur, modo in ſe filia mea ad tui nominis gloriam experiatur. Dixit, & abijt, & iniunctum ſibi ſeruitium pro tempore perſoluit. Cum autem ab opere domum rediſſet, inuenit filiam ſuam ſaluam, & incolumem. Nam & loquebatur, & audiebat, & proprijs pedibus, quod nunquam fecerat, ambulabat. Ad telam quippe matris acceſſerat, & quaſi texere volens ad eam ſedebat. Regreſſamque matrem gratulabunda reſpexit, & interroganti, quid ageret, voce clara, & recto ſermone reſpondit. Quod mater, vt percepit, cum magno clamore Deo gratias egit, & conuocans amicas, & vicinas, non minus de ſanitate filiæ, quàm illa mulier Euangelica gauiſa eſt de inuentione drachmæ. Operatus eſt etiam multas alias virtutes, antequam poneretur in ſepulchro, & quaſi medicus de Cælo miſſus medebatur omnibus infirmitatibus.

Quarto autem die mediante Beatus Vbaldus ponitur in tumba, & per venerabilium manus Epiſcoporum, qui conuenerant, terræ redditur, quod fuerat de terra. Sed vt prophetia Sancti Viri de eo, quem poſt ipſum eſſent electuri, cito compleretur, eadem hora, immò eodem momento, quo Sanctus ponitur in tumba, qui eligendus erat, adueniens ingreditur Eccleſiam. Atque ita omnium voluntas prophetiæ Sancti Viri famulatur, vt nullus prorſus, qui aliud ſentiret, inueniretur.

tur. Et cum pauci eſſent, qui ſcirent, illud dicunt, illud affirmant. Sæpè quippe S. Vbaldus dicere conſueuerat, & ſciſcitantibus ſe aliquantis non præcipiendo, ſed prophetando dicebat, quia ille reget Eugubinam Eccleſiam. Sicque factum eſt, vt dum ille, quem Sanctus prædixerat, ſine mora eligitur, etiam prophetiæ ſpiritu S. Vbaldus claruiſſe videatur.

Fecerunt interea ſibi conſuetudinem boni Ciues, vt per totum ferè annum, omni die cum candelis accenſis ad S. Vbaldum venirẽt. Veniebant autem cum Proceſſione omnes pariter cantantes viri, & mulieres, & qui per ſe non poterant venire, adducebãtur, ſicut etiã infantes Reſonabat Eugubina Ciuitas à voce canentium, coruſcabat à ſplendore luminis candelarum, nox vertebatur in diem, & totius noctis fugabantur à lumine tenebræ. Et quod de Ieruſalem per Tobiam prophetatum legitur, quia per omnes vicos eius: Alleluia cantabitur, videbatur tunc completum in Eugubio, vbi per omnes plateas, & vicos laudes Domino reddebantur. Per omniũ ora S. Vbaldus canitur, per omnium voces S. Vbaldus prædicatur, & quaſi non ſit aliud nomen, quod nominari debeat; ita Sanctũ Vbaldum omnes frequentant. Totus ille annus fit Eugubinis Iubileus; totus plenus lætitia, & gaudio. Fit annus ille gratus omnium bonorum vbertate. Fit dulcis, & amabilis concordia, & pace.

Quod enim Priori Fontis Auellanæ ante fuerat intimatum, hoc totum completum eſt in depoſitionis eius anno. Nam cũ idem prior, qui poſt ipſum eſt electus, eſſet Æſi, quintadecima nocte ante migrationem Sancti viri, hoc ſæpiſſimè verbum cæpit in eius ore, tam dormientis, quàm vigilantis frequentari. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. Quod cum duobus fratribus ſuis Fontis Auellanę manè retuliſſet, reſponſum eſt ab eis, quia in partibus illis ipſe pacem faceret. Sed, ſicut poſtea euidentiſſimè claruit, de diebus Beati Vbaldi, & Eugubina Ciuitate tunc ſignificatum fuit. In cuius depoſitionis diebus, & abundantia pacis eſt orta, & iuſtitia, quæ deberetur pauperibus nata. De qua ſcilicet iuſtitia Propheta dicit: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitiã eius manet in ſæculum

lum

lum ſæculi. Nam & reformata eſt inter Ciuitatem, & Comitatum pacis concordia; & bellum, quod per multum temporis inter eos fuerat, ad integrum eſt ſedatum. Miſericordia etiam tam large in pauperes fiebat, vt contra conſuetudinem non haberent opus inopes rogando poſtulare, ſed magis ipſi rogabantur, vt dignarentur accipere. Dulce ſatis ſpectaculum erat videre ducentos, & trecentos, interdum etiam quadringentos pauperes in Eccleſia comedere, & omnibus, quæ neceſſaria erant, affluenter abundare. Afferebantur eleemoſynæ de omni genere ciborum, & quæcumque neceſſaria erant ſanis, & infirmis afferebantur copioſè de Villis, & Caſtellis. De Eugubinis verò Ciuibus non eſt neceſſe aliquid dicere, quomodo pro Sancti ſui amore parati erãt omnia dare. Tunc ergo cæpit deuotũ illud pauperũ obſequiũ, qd. Eugubini Charitatẽ vocãt; tũc in veritate cæpit pacis, & iuſtitiæ pollere abũdãtia.

Sed iam ad enarranda cætera S. Vbaldi miracula veniamus, & quam ſtrictius poſſumus, ea breuiando numeremus. Vt autem fides certior adhibeatur, quorumdam liberatorum, & loca vnde fuerunt, & omnia ponimus. Poſitus itaque Beatus Vbaldus in ſacræ dormitionis ſuæ throno, quaſi potentiſſimus princeps adepto principatu; expellere cæpit Dæmonum multitudinem, & omnes morbos, omniaque genera infirmitatum. Liberauit quippè quandam puellam nomine Bonam de Caſtro S. Victorini à tribus Dæmonibus vexatam. Et Bertam ſimiliter de Comitatu Camerino à peſſimo Dæmone poſſeſſam. Beltrama de Cortona habebat nares vermibus plenas, quorũ cruciatu miſerabili, dum laboraret, nec per diem, nec per noctem poterat dormire. Mox autem vt fecit votum Beato Vbaldo, vermes cæperunt quieſcere, & liberata cæpit Deo gratias agere, & Beato Vbaldo, cuius meritis euaſerat vermium cruciatum. Pauca autem pro multitudine geſtorum, fratres, veſtræ propoſui charitati, de his, quæ mirabiliter operatus eſt Dominus meritis glorioſi Confeſſoris ſui Vbaldi. Rogans attentius, vt ſi minus eleganter ſunt propoſita, meæ paruitati veniam non denegetis. Illi ſoli gratias agentes, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, & per cuncta ſæcula ſæculorum viuit, & regnat. Amen.

FINIS.

In Diui Patris
VBALDI VITAM
D. Philippi Piccinelli Can. Reg. Later.
ELOGIVM.

Ex Vmbria VBALDVS prodit, vmbris ſemper inuiſus,
Qui meritorum vertice montuoſam exuperans patriam,
Atauorum ſplendorem, iubare ſuo vel obſcurauit, vel auxit.
Orbatur infans Genitore, vt Deum haberet patrem,
Cujus ædibus enutritus, ſæculum ignorauit potius, quam reliquit.
Dei candidatus, CANONICI Ordinis albo adſcribitur,
Vbi exceptus in alumnum, eſt adſcitus in Patrem.
Mores vetuſtate collapſos, exemplo reſtituit, & verbo;
Probus Paſtor, errantes in caulam reuocans oues,
Bona Lux, errorum vmbras e ſacris eliminans atrijs.
Tanti meritum Viri, nedum Patria, externa ſuſpexit ora.
Infulas cum Peruſia obtulit, caput ille ſubduxit,
Et petẽs deſerta, ſe dedit ſociũ feris, nè colẽs vrbes, ſe daret populis pręſecũ.
Honores, quos magè meruit cum neglexit,
HONORIO Vrbis, ac Orbis capite imperante recepit.
Qui Eugubio ceſſerat ciuis, patrios lares repetijt PONTIFEX,
Sacra redimitꝰ thiara caput, ſed gẽmeo virtutũ torque circũdatꝰ ſinũ,
Vt cæteris nedum dignitate, ſed & virtute præſtaret.
Quem Eugubium excepit Patrem, inuenit Propugnatorem,
Ciuica ſtrauit diſſidia, in ſolum vultu demiſſo,
Hoſticas fudit phalangas porrecta in cęlum dextera,
Et vel prece, vel nutu, nedum e languentium artubus morbos,
Sed & tortores dæmonas effugauit.
Sanctitatis aurum dolorum fornax ad biennium decoxit;
Cuiꝰ ne vllũ à coronis vacaret mẽbrũ, pgraui cũcta cruciatu cõtabuere
Præſſum doloribus Dei organum, reddidit ſub pondere melos,
Et acerrimis percuſſa ictibus Chriſti cithara,
Numini accinens, preces fundens, ſonis dulciſſimis loquebatur.
Cœlo dignum, feſtantis inter Eccleſiæ plauſus æthera ſuſcepere.
Vt VBALDI ſpiritus ita Diuino ex intuitu gauderet æternum,
Vt Infernæ cohortes ad eiꝰ incorrupti cõſpectũ corporis, [illegible] ortẽdũ cõtremiſcũt.
Siſte mi calame.
Quem Deus excipit, pauet Tartarus, ſuſpicit Orbis.
Nullo felicius charactere, quam contracto in ſtuporem ſupercilio veneramur.

EGO Octauius Caſtellocτus Notarius publicus Eugubinus, & ad præſens Cancellarius Perilluſtris Communitatis Eugubij, quia Vitam q. D. Vbaldi Epiſcopi Eugubini deſcriptam per q. B. Tebaldum ex lib. Reformationum annorum 1326. vſque 1327. exiſten. in Cancellaria Palatij d. Ciuitatis alijs negocijs impeditus per alium mihi fidum exemplari feci, & quoniam facta collatione concordari inueni: ideo in hanc publicam reduxi cum ſolito meo ſigillo, & nomine in fidem veritatis.

Locus ✠ Sigilli.

Confalonerius Iuſtitiæ, &)
Conſules Populi) Ciuit. Eugubij.

VNiuerſis, & ſingulis &c. fidem facimus, & atteſtamur D. Octauium Caſtelloctum Conciuem noſtrum, qui de exemplatione prædicta fidem facit, eſſe publicum, legalem, & autenticum Notarium, & talem qualem ſe facit, eiuſque ſcripturis publicis in iudicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti adhiberi fidem. In quorum fidem &c. Dat. Eugubij die 18. Octob. 1622.

Locus ✠ Sigilli.

Guidus Baldellus V. Canc. de mand.

98 55543

Mc